

censem abbatiam cum archiepiscopatu possedis-
set.

Hanc ipsi Carolus Calvus concesserat, vivente etiam Bernardo abbate; Rodulfum hoc beneficio demereri sperans, quo in Aquitanorum motibus uteretur; quippe ob generis nobilitatem, affinitates cum Aquitaniae proceribus pene omnibus, sedis dignitatem, maxime vero propter sanctitatis famam, archiepiscopi hujus potestas erat maxima. Sed in concilio i Tullensi Patres id moleste tulerunt et in capitulo 14 legitur: « Postulavit humiliter generalis synodus se ad terram usque prosternens ante Karolum regem et Rodulfum Biturigum archiepiscopum obsecrans et adjurans per crucem et Christi sanguinem, ut privilegium monasterii S. Benedicti, quod annuente præfato rege firmaverant, quodque idem Rodulfus subscripserat qui præfatam abbatiam

A irregulariter tenebat, ratum et inconvulsum servare studerent. » Rodulfum abbatiae cessisse autumat Mabillonius, quia *Bernardus abbatibus officium ad aliquot annos gerere non destitit*; sed forsitan vicaria, non suprema potestate. Inter cæteras animi dotes eminuit in hoc præfule summa prudentia, qua principum ab invicem dissidentium et pro regno decertantium gratiam sibi conciliavit. De Caroli Calvi erga eum benevolentia jam diximus, ubi nar-
ravimus ab hoc principe etiam contra leges ecclesiasticas datam ipsi fuisse Floriacensem Ecclesiam. Eidem quoque munificum se probavit Pipinus Junior, Aquitaniae rex, filius alterius Pipini, Aquitaniae quoque regis; concessitque nonnullas villas, de quibus agit principis hujus diploma, quod legitur datum indict. xi anno decimo regnante Pipino inclyto rege.

RODULFI CAPITULA

(Apud Baluz., Miscellanea sacra, tom. II.)

INCIPIT PROLOGUS.

RODULPHUS exilis servorum Dei servus, fratribus et consacerdotibus Bituricensis Ecclesiae nostrae salutem.

Non latere credimus beatitudinis vestrae solertiam quanta ecclesiasticae nobis disciplinae, quantisque quotidianis sollicitudinibus subditorum insuper et temporalium oppressionibus rerum, quibus indesinenter undique coangustamur, sollicitudo constringat. Idcirco, ut vobiscum contuli, ex antiquorum scriptis, Scripturarum quoque ac canonum orsis excerpte dudum opusculum vitae sacerdotalis poenitentiaeque ac satisfactionis minime quivi: quoniam animus partitus per diversa sit tardior ad singula. Non enim renisus sum petitioni vestrae velut otii tædio durus, sed supradictae impossibilitatis nervo vinctus. Jam vero tantorum nolens resistere querimoniis dignum ac utile fore censeo condignis parere desideriis laudabilibusque satisfacere petitionibus. Quapropter me ipsum, fratres, abnegare nolo, sed ardenti animo, sine aliquo excusationis verbo, hujus ponderis sarcinam a vobis illatam, a Domino quoque sublevandam, arripere non recuso, jactans in Christo meum cogitatum, cujus hortatu huic operi tribuam incrementum. Ipse enim inquit: *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud*. Valde etenim me sollicitat quoniam ita in sacerdotum nostrorum libellis reperi quos vulgo poenitentiales vocant (*Conc. Cabilon. II, cap. 38*), quorum errores certi, auctores sunt incerti, confusa judicia poenitentium atque ita diversa et nullius auctoritate suffulta, ut vix animus prudentis prope dissonantia tanti discriminis possit sustinere jacturam. Hos vero obliterans, et studium meum certis atque catholicis scripturis accommodans, quid agere sacerdotes, qualiterve conversari vel quomodo Christi gregem veluti pastores ingenio compotes et sermone tantum medicinali antidoto levigatum ad perpetuae oaulas pascuae revocare oporteat, ex sanctorum Patrum canonumque sen-

B tentiis exiguum opus in uno volumine aggregare curavi. Et ut fastidiosus et minus eruditis lectoribus tædium minime inferrem, hujus modici opusculi summam quadraginta quinque capitulis perstrinxi. Si autem quis paschalibus multimodisque refertus dapibus hunc nostri laboris spreverit actum, in his obsecro charitate servata opibus utescat cecropiis, nostris omittens contraire purissimae devotionis sine aliquo arrogantiae fastu conatibus. Legentium quippe totis præcordiorum nisibus efflagitare non cesso industriam quatenus dilectionis munere recreati, quæ in his membranis conspicuo corrigibilia et minus apta perspexerint oculo, absque dilacerationis obstaculo, non ut obtrectatores insani, sed tanquam amplectitores benevoli, emendare atque corrigere charitative studiose studeant, ut et perfectie dilectionis servetur in mente, et effectus optimi studii exercentur in opere. Unde posco vos, o fratres dilectissimi, fundite pro meis peccaminibus supplicibus votis ad Dominum preces, quod clemens atque multum misericors vincula pravitate meae absolvat, et gaudia æterna concedat. Deus omnipotens æternus pastor vos ubique protegat et ab omnibus perturbationibus liberet.

CAPUT PRIMUM.

De fide sanctæ Trinitatis, qualiter tenenda sit a presbyteris et prædicanda.

(Lib. I Capitular., cap. 76.) Primo omnium credendum est atque omnibus generaliter prædicandum Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum Deum esse omnipotentem, æternum, invisibilem, qui creavit cælum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, et unam esse deitatem et substantiam et majestatem in tribus personis Patris et Filii et Spiritus sancti. Itemque quoniam Filius Dei incarnatus est de Spiritu sancto et Maria Virgine pro salute et reparatione humani generis, homo factus, passus, sepultus, tertia die resurrexit, et ascendit ad cælum, sed etque

ad dexteram Patris, et quia venturus sit judicare omnes homines propter merita propria, et quoniam omnes mortui in vera carne resurgent, impii propter scelera sua cum diabolo in ignem mittendi æternum, justi vero cum Christo et cum angelis suis in vitam consociandi æternam.

CAPUT II.

De honore et restauratione ecclesiarum.

(Lib. I *Capitular.*, cap. 67, et lib. VI, cap. 377.) Placuit nobis admonere fratres et sacerdotes nostros ut ecclesia Dei per illorum parochias suam habeat honorem, et altaria secundum suam dignitatem venerentur et exornentur, domusque Dei et altaria sacrata non sint avibus et canibus pervia, et ut sæcularia negotia et vaniloquia in ecclesiis non agantur, quia domus Dei domus orationis debet esse, non spelunca latronum (*Matth.* XXI), et non ob aliam causam in ecclesiam convenire debere nisi ad laudandum Deum et ejus servitium faciendum. (*Capitulare Theodulfi*, cap. 10.) Disceptationes vero et tumultus et vaniloquia et scurrilitas cæteræque turpes actiones ab eodem sancto loco penitus prohibenda sunt. Ubi enim Dei nomen invocatur, sacrificium Deo offertur, angelorum frequentia inesse non dubitatur, periculosum est tale aliquid dicere vel agere quod loco non convenit. Si enim Dominus illos de templo ejecit qui victimas quas ibi offerebant emebant et vendebant (*Matth.* XXI), quanto magis illos iratus abjiciet qui mendaciis, vaniloquiis, risibus, et hujusmodi nugis locum divino cultui mancipatum fœdant? Monemus etiam ut prædictas ecclesias bene construant et emendent juxta rerum possibilitatem, et luminaria eis tribuant, sicut decet, ut in omnibus honorificetur Deus, et Ecclesia sancta Christi sanguine mercata veneretur, magnificetur atque exaltetur (Lib. II *Capitular.*, cap. 5).

CAPUT III.

Ut missa nequaquam alibi nisi in ecclesia celebretur. Et ut in ecclesiis cellaria non fiant.

(*Capitulare Theodulphi*, cap. 11.) Missarum sollemnia nequaquam alibi nisi in ecclesia celebranda sunt, non in quibuslibet domibus et in vilibus locis, sed in loco quem elegerit Dominus, juxta illud quod scriptum est: *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit Dominus ut ponat nomen suum ibi*; excepta ratione eorum qui in exercitum pergentes ad hoc opus habent tentoria et altaria dedicata in quibus missarum sollemnia expleant. Videmus etiam crebro in ecclesiis menses, vinum, fenum, et cæterarum frugum species congeri. (*Capitulare Theodulfi*, cap. 8.) Unde horrea vel cellaria potius quam ecclesiæ esse probantur. Et ob hoc, quod nefas est, homicidia, adulteria, furta, comessationes, ebrietates, turpiloquia, et his similia illicita, quæ visu et auditu obscena sunt ibi fieri sæpe a plurimis didicimus. Quapropter volumus ut hoc penitus observetur quatenus in ecclesia nihil

(a) Vide Notas ad Reginonem, pag. 557.

aliud præter vestimenta ecclesiastica et vasa sancta et libros et ea quæ honori congruunt vel non officiant ecclesiastico recondatur; ne forte si alia ibi quam oportet negotia exercentur, a Domino audiamus: *Domus mea domus orationis vocabitur. Vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Et iterum: *Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.*

CAPUT IV.

Ut in ecclesiis deinceps sepulturæ mortuorum non fiant.

(*Capitulare Theodulfi*, cap. 9.) Antiquus in his regionibus in ecclesia sepeliendorum mortuorum usus fuit, et plerumque loca divino cultui mancipata et ad offerendas Deo hostias præparata cimiteria sive polyandria facta sunt. (a) Unde volumus ut ab hac re deinceps absteatur, et nemo in ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona sacerdotis aut cujuslibet justi hominis qui per vitæ meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisivit. Corpora vero quæ antiquitus in ecclesiis sepulta sunt nequaquam projiciantur; sed tumuli qui apparent profundius in terram mittantur, et pavimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, ecclesiæ reverentia conservetur. Ubi vero tanta est multitudo cadaverum ut hoc facere difficile sit, locus ille pro cimiterio habeatur, abbato inde altari, et in eo loco constructo ubi religiose et pure Deo sacrificium offerri valeat.

CAPUT V.

De libris et vestimentis ecclesiasticis vel sacerdotalibus et de vasis sacris.

(Lib. I *Capitular.*, cap. 68, 103, et lib. V, cap. 229.) Admonendi etiam sunt sacerdotes ut operam dent quatenus missalem et lectionarium, psalterium, sive alios libellos sibi necessarios bene correctos habeant, quia sæpe dum bene aliquid Deum rogare cupiunt, per inemendatos libros male rogant. Et pueros suos non sinant vel legendo vel scribendo eos corrumpere, corrigere, vasaque Deo sacrata magna veneratione habeantur. Et non liceat alicui calicem aut patenam aut quodlibet vas sacratum et divino cultui mancipatum ad alios usus retorquere. (*Capitulare Theodulfi*, cap. 18.) Nam quicumque de calice sacro aliud bibit præter Christi sanguinem, qui in sacramento accipitur, et patenam ad aliud officium habet quam ad altaris ministerium, deterrendus est exemplo Balthasar, qui dum vasa Domini in usus communes assumpsit, vitam pariter cum regno amisit. Statuimus quoque ut cum summo studio lintamina nitida altaribus præparent, et sacerdotalia indumenta cum quibus sacrificatur optima pro viribus et munda habere satagant, et sive nova sive vetustate confecta ad alios usus transire nullo modo sinant.

CAPUT VI.

De Eucharistia.

(Lib. I *Capitular.*, cap. 155. *Capitulare Theodulfi*,

cap. 5.) Ut presbyteri semper habeant paratam eu-
charistiam, ut quando quisque infirmaverit, aut par-
vulus infirmus fuerit, statim eos communicent, ne
sine communione moriantur. Panes enim quos in
sacrificio offertis, aut a vobis ipsis aut a vestris mini-
stris ad id agendum idoneis coram vobis nitide ac
studiose fiant, et diligenter observetur ut panis et
vinum et aqua, sine quibus missæ nequeunt cele-
brari, mundissime atque studiose tractentur, et nihil
in his vile, nihil reprehensibile inveniatur, et ut
sacrificia sanctificata cum magna diligentia ab eis
colligantur qui digni sunt, et honorifice servantur.
(Lib. I *Capitular*, cap. 67.) Ab omnibus autem ca-
vendum summopere esse monemus ut non diutius
serventur, ne forte putrida et inhonesta appareant,
sed tandiu in vase mundissimo custodiantur usque
dum ad alia dicata succedant.

CAPUT VII.

De vita et moribus sacerdotum.

(*Capitulare Theodulfi*, cap. 2.) Oportet sacerdotes
Dei assiduitatem habere legendi et instantiam oran-
di; quia vita viri iusti lectione instruitur, oratione or-
natur, et assiduitate lectionis munitur, juxta illum
qui dicebat: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut
non peccem tibi.* Hæc sunt arma, lectio videlicet et
oratio, quibus diabolus expugnatur. Hæc sunt instru-
menta quibus beatitudo acquiritur. (*ibid.*, cap. 3.)
His armis vitia comprimuntur, his alimentis virtutes
nutriuntur. Et si quando a lectione vel oratione ces-
satur, debet manuum operatio subsequi, quia otiositas
inimica est animæ, et antiquus hostis quem a
lectione sive ab oratione seu operatione vacantem
invenerit facile ad ima rapit. Debet itaque Christi sa-
cerdos compositis moribus, vultu hilari, sermone
proficuo, exemplo salubri, placido animo, sine dolo
et simulatione, atque omnibus in commune virtuti-
bus clarere, quatenus sibi commissos non livoris
atque amaritudinis zelo pertrahat ad ruinam, sed
charitatis atque dulcedinis providentia provocet ad
salutem.

CAPUT VIII.

De doctrina et observantia sacerdotum.

(Lib. I *Capitular.*, cap. 66.) Ut presbyteri qui sibi
et cæteris prodesse debent summopere studeant ut
doctrinam rectam teneant, et baptismum catholicum
observent, et missarum preces bene intelligant, et
horas canonicas diurnas vel nocturnas custodiant,
et ut psalmi digne secundum divisiones versuum mo-
dulentur, et Dominicam orationem et symbolum
atque expositionem ipsi noscant et omnibus prædi-
cent intelligendam, et unusquisque sciat quid a Deo
petat; quatenus eorum doctrinis atque exemplis
multi pertrahantur ad servitium Dei, sicut ipse Do-
minus in Evangelio præcepit: *Sic luceat lux vestra
coram hominibus ut videant opera vestra bona et glo-
rificent Patrem vestrum qui in cælis est.*

CAPUT IX.

*Ut laici seniores domus sacerdotum aliqua occasione
cum feminis et canibus habitandi causam non ha-
beant.*

Omnes in commune seniores ecclesiarum laicos
monemus ut in domibus sacerdotum, quæ mundæ
ac castæ et religiosæ debent esse, cum uxoribus vel
aliis feminis seu canibus habitare nullatenus præsu-
mant: quoniam illicitum est eum qui soli Deo ser-
vire jubetur luxuriosis verbis atque superfluis impli-
cari tumultibus, et commissi officii præfixas psal-
lendi, vigilandi, orandi, aut, si necessitas evenerit,
baptizandi, infirmisque et deficientibus subveniendi,
corrumpere metas. Hoc vero nefas deinceps fieri ve-
tamus, ne Dei ministri sæculari oppressione lædan-
tur, et Christi grex charissimo pretio comparatus
negligentia pastoralis morte damnetur æterna. Si au-
tem ab hinc tale aliquid gestum fuerit, ad nostram
citius perveniat notitiam, ut auctoritate divina ad
corrigenendum vel inviti deducantur transgressores.

CAPUT X.

Quo ordine a presbyteris missa celebretur.

(*Capitulare Theodulphi*, cap. 7.) Sacerdos missam
solus nequaquam celebret: quia sicut illa celebrari
non potest sine salutatione sacerdotis, responsione
plebis, admonitione sacerdotis, responsione nihilo-
minus plebis, ita nimirum nequaquam ab uno debet
celebrari, esse autem debent duo aut tres qui cir-
cumstant, quos ille salutet, a quibus ei respondeat-
ur. Et ut epistolam nullus laicus legere præsumat
nec clericus, nisi prius subdiaconatus susceperit
officium. Sicut enim missam sacerdotes et evange-
lium legere diaconi jubentur, ita epistolam pronun-
tiare inter sacra missarum solemniam subdiaconi
noscuntur. Nam si subdiaconus defuerit, aut a dia-
cono aut ab ipso legatur presbytero, ut non vitupe-
retur ministerium sacrum, sed in omnibus honorifi-
cetur Deus. (*ibid.*, cap. 6.) Femine autem sacerdote
missam celebrante nequaquam ad altare accedant,
nec vasa sacra contingant, sed in locis suis stent.
Memores enim esse debent femine infirmitatis suæ
et sexus imbecillitatis. Et idcirco sancta quælibet in
ministerio ecclesiæ contingere pertimescant. Quæ
etiam laici viri pertimescere debent, ne Ozan pœnam
subeant, qui dum arcam Domini extra ordinari (*sic*)
Dei sustentare voluit, sed Domino percutiente in-
terit.

CAPUT XI.

De hospitalitate.

(*Ibid.*, cap. 15.) Admonendi sunt sacerdotes ut
hospitalitatem et per se diligant et cæteris diligen-
dam esse insinuent, et nulli hospitium prohibeant. Et
si cui forte hospitium præstiterint, nullum ab eo
munus accipiant, nisi forte ille qui recipitur sponte
sua aliquid det. Dicendumque illis qualiter multi per
hospitalitatis officium Deo placuerunt, dicente Apo-
stolo: *Per hanc enim placuerunt quidam Deo, ange-
lis hospitio susceptis. Et iterum: Hospitales invicem*

sine murmuratione. Et ipse Dominus ad iudicium A dicturus est : *Hospes eram, et collegistis me.* Sciant namque quicumque hospitalitatem amant, Christum se in hospitibus recipere. Esurientes ego satiandi sunt, sitientes potandi, nudi operiendi, infirmi et qui in carcere sunt visitandi, et hospites colligendi, dicente Domino : *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitiivi, et dedistis mihi bibere, et cætera.* Nam hæc omnia et in se quisque debet spiritaliter agere et in aliis carnaliter adimplere.

CAPUT XII.

De conciliis observandis.

Secundum priscorum edicta Patrum cuncti sacerdotes per parochias constituti ad concilium venire jubentur, ut ibi omnium quæstionum negotia ab episcopo discutiantur, ut quæ utilia sunt comprobentur, et inutilia quæque et illicita canonicè corrigantur. Unde monemus omnes ut hæc salutaria monita custodire non negligant, et ad synodum omni occasione sublata occurrere indifferenter satagant, qualiter unanimitate servata omnium disceptationum ruinosam tollantur dissidia. Si quis vero his institutionibus contraire tentaverit, et synodalia jura contemnens ad nostrum concilium nostrorumque ministrorum festinare distulerit, nisi justam excusationis protulerit causam, canonicè excommunicationis sentiet pœnam.

CAPUT XIII.

De prædicatione sacerdotum.

(*Capitulare Theodulfi* cap. 28.) Hortamur vos paratos esse ad docendas plebes. Qui Scripturas scit, prædicet Scripturas. Qui vero Scripturam nescit, saltem hoc quod notissimum est plebibus dicat, ut declinent a malo et faciant bonum, inquirent pacem et sequantur eam, quia *oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum; vultus autem Domini super facientes mala,* ut perdat de terra memoriam eorum. Nullus ergo se excusare poterit quod non habeat linguam unde possit aliquem ædificare. Mox enim ut quemlibet errantem viderit, prout potest aut valet, aut arguendo aut obsecrando aut increpando ab errore retrahat et ad peragendum bonum opus hortetur. Modus autem prædicationis hic est. (*ib.*, cap. 21.) In primis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute, deinde proximum tanquam seipsum. Deinde non occidere, non adulterare, non facere furtum, non concupiscere, non falsum testimonium dicere, honorare omnes homines, et quod sibi quis fieri non vult alii non faciat, abnegare semetipsum sibi, ut sequatur Christum, corpus castigare, delicias non amare, jejunium amare, pauperes recreare, nudum vestire, hospites suscipere, infirmum visitare, mortuum sepelire, in tribulatione positus subvenire, dolentem consolari, a sæculi actibus se facere alienum, nihil amoris Christi præponere, iram non perficere, iracundiæ tempus non reservare, dolum in corde non tenere, pacem falsam non dare, charitatem non derelin-

quere, non jurare, ne forte perjures, veritatem ex corda et ore proferre, malum pro malo non reddere, injuriam non facere, sed et factam patienter sufferre, inimicos diligere propter Deum, maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere, persecutionem pro justitia sustinere, non esse superbum, non vinolentum, non multum edacem, non somnolentum, non pigrum, non murmuriosum, non detractorem, non litigiosum, spem suam Deo committere. Bonum aliquid in se cum viderit, Deo applicet, non sibi : malum vero a se factum sciat et sibi reputet. Diem iudicii timere, gehennam expavescere, vitam æternam omni concupiscentia spiritali desiderare, mortem quotidie ante oculos suspectam habere, actus vitæ suæ omni hora custodire, in omni loco Deum se respicere pro certo scire, cogitationes malas cordi suo advenientes abjicere, eo suum a malo vel pravo eloquio custodire, multum loqui non amare, quoniam secundum Scripturarum, *In multiloquio peccatum non deerit,* verba vana aut risui apta non loqui, risum multum non amare, lectiones sanctas libenter audire, orationi frequenter incumbere, mala præterita cum lacrymis et gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, de ipsis malis de cætero emendare, desideria carnis non perficere, voluntatem propriam odire, præceptis sacerdotis in omnibus obedire, etiamsi ipse aliter, quod absit, quam non oportet agat, memores illius Dominici præcepti. *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite;* præcepta Dei factis quotidie adimplere, castitatem amare, zelum et invidiam non habere, contentionem non amare, seniores venerari, juniores diligere, cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire, et de Dei misericordia nunquam desperare. Hæc sunt enim instrumenta spiritalia; quæ cum fuerint a nobis die noctuque incessabiliter adimpleta et in die iudicii reconsignata, illa merces a Domino recompensabitur quam ipse promisit. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum.*

CAPUT XIV.

De presbyteris qui in Cæna Domini pro chrismate veniunt, ut unusquisque tres deferat ampullas.

(*Lib. I Capitul.*, cap. 93, 156, et *lib. V*, cap. 445. Vide notas ad loc. cit.) De presbyteris qui accipiendi chrismatis gratia ad civitates in Cæna Domini venire soliti sunt constituimus ut ex decem unus eligatur, qui acceptum chrisma sociis suis diligenter perferat. Hi vero qui non longius a civitate quam sex aut septem millibus habitant, ad accipiendum chrisma per se veniant. Tres autem omnes secum deferant ampullas, unam pro chrismate, aliam pro oleo ad catechumenos, tertiam pro oleo ad infirmos ungentos. Secundum itaque beati apostoli Jacobi documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi oleo quod ab episcopis benedicuntur a presbyteris ungi debent. Dicit enim : *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes*

eu in oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit A
infirmum et allevabit eum Dominus. Et si in peccatis
est, remittetur ei Non est ergo parvipendenda hujus-
 cœmodi medicina, quæ corporis animæque medetur
 languoribus. Presbyteri autem chrisma sub sigillo
 custodiant, ut nulli sub prætextu medicinæ vel ali-
 cujus maleficii dare præsumant. Si fecerint, hono-
 re priventur.

CAPUT XV.

De parochianis et de parochia alterius et de clericis
alienis.

(*Capitulare Theodulfi*, cap. 14; lib. III *Capitular.*,
 cap. 198 et lib. I, cap. 147, 148.) Nullus presbyter
 alterius parochianum persuadeat ut ad suam eccle-
 siam concurrat, relicta propria ecclesia, nec ad mis-
 sam recipiat, nisi in itinere fuerit, aut placitum ibi
 habuerit, aut aliqua justa ratio intervenerit. Nullus
 presbyter in alterius ecclesia missam canere
 præsumat, nisi in itinere positus, aut ab eo jussus
 ad quem ipsa pertinet ecclesia. Nec decimas alteri
 debitas audeat recipere, sed unusquisque sua eccle-
 sia et populo contentus, quod sibi non vult fieri, al-
 teri nequaquam faciat, juxta illud evangelicum :
Quæcunque vultis ut vobis faciant homines, et vos ea-
dem facite illis. Hoc quoque modis omnibus prohi-
 bebimus ut nullus presbyter alterius clericum solli-
 citet aut recipiat, quia gravis de hac re in sacris
 canonibus sententia est. Quisquis autem contra hæc
 statuta venerit, vel his monitis nostris reniti tenta-
 verit, aut gradum se sciat amissurum, aut in car-
 cere longo tempore detinendum.

CAPUT XVI.

De feminis a presbyteris non suscipiendis.

(*Capitulare Theodulfi* cap. 42.) Nulla femina in
 domo sacerdotis habitet. Quamvis enim canones
 matrem et sororem et hujuscemodi personas in qui-
 bus nulla sit suspicio cum illo habitare concedant,
 hoc nos modis omnibus idcirco amputamus, quia in
 obsequio sive occasione illarum veniunt aliæ femi-
 næ quæ non sunt ei affinitate conjunctæ, et eum ad
 peccatum illiciunt. Occasiones enim amputandæ
 sunt peccatorum, et tollendæ omnes suspensiones qui-
 bus subtilitas diaboli sub prætextu charitatis et di-
 lectionis incautas animas et ignaras irretire consue-
 vit. Idcirco ad custodiendam vitam eorum vel famam
 speciali ordinatione præcipimus ut nullus sacerdo-
 tum extraneæ mulieri qualibet collatione aut fami-
 liaritate jungatur, et non solum in domo illius femina
 non accedat, sed nec ipse frequentandi domum fe-
 minæ habeat potestatem, nec in cellarium vel in se-
 cretum ancillam aut libertam seu quamcunque fe-
 minam intromittat. Si quis vero presbyter crimine
 fornicationis de quacunque femina suspicatus post
 primam et secundam admonitionem inveniaur fa-
 bulari cum ea vel aliquo modo conversari, noverit se
 a sacerdotii honore et ab officio removendum, nulla
 ei prorsus recuperationis consolatione relicta.

CAPUT XVII.

Ut nullus presbyter ecclesiam alterius subripere
audeat.

(*Ibid.*, cap. 16; lib. VII *Capitul.*, cap. 206, et lib. I,
 cap. 150.) Si quis presbyter inventus fuerit alicui
 clerico aut laico munera dare aut dedisse aut ullo
 modo quibuslibet factionibus vel fraudibus seu dolo-
 sitatibus publice vel occulte attentare ut ecclesiam
 alterius presbyteri subripiat, sciat se pro hac rapina
 et sæva cupiditate aut gradum amissurum aut in
 carceris ærumna longo tempore pœnitentiam agen-
 do detinendum. Statuimus quoque ut nullus sacer-
 dos pro accepta ecclesia munera dare præsumat. Et
 hoc juxta canonum decreta seu gloriosissimorum
 Caroli scilicet ac Ludovici decernimus ut unusquis-
 que presbyter res quas post diem consecrationis ac-
 quisierit ad propriam relinquat ecclesiam.

CAPUT XVIII.

Ut pro baptizandis sive pro sepeliendis fidelibus,
sive pro pœnitentia danda aut pro sacramentis
in ecclesia faciendis nulla pretia exigantur.

(Lib. V *Capitular.* c. 172, et lib. VI, cap. 106,
 183. *Capitula Caroli Calvi*, tit. VII, cap. 2. *S. Gregor.*
 lib. VII, *indict.* 2, ep. 55.) Audivimus quosdam sacer-
 dotes maligno instinctu agitados pro baptismatis
 gratia sive pro sepulturæ loco pretia injusta a non-
 nullis accepisse : quod nefandissimum facinus in
 cunctis majorum institutis novimus prohibitum.
 Gratis enim datur, et gratis dari jubetur. Et ideo nihil
 deinceps quia gratis est datum, pro baptizandis sive
 sepeliendis hominibus pretii exigere præsumant, sed
 eos quos corporis validudo sociat salutem, temporibus
 constitutis sponte baptizent ; et si in fine mortis con-
 stituti fuerint, eos absque aliqua dilatione sine alicuius
 pretii munere ad regenerationis baptismum ad-
 mittant. Cum vero ab hac vita recesserint, cum psal-
 mis et canticis diligenter ad sepulcrum illos deferant,
 nullum exinde pretium requirentes, nisi ipsi aut pa-
 rentes eorum seu eleemosynarii sponte aliquid tri-
 buant. Similiter de pœnitentia danda et de sacramen-
 to in ecclesia faciendo ecclesiastica vetat auctoritas
 nullum prorsus exquirere donum. Pœnitentiam au-
 tem quærentibus cito succurrendum est. Et jurantibus
 ne in perjurium incidant prædicandum. Peccantes
 autem ut ad pœnitentiam redeant omni sollicitudine
 invitandi. Et jurantes ut crimen non incurrant omni-
 modis suadendi sunt. Quoniam frequenter nonnulli
 paupertate cogente deterriti baptismum differunt, et
 absque baptismatis gratia filios mori permittunt. Alii
 quoque juramenti pretium, quod ab illis illicite a sa-
 cerdotibus exigitur, metuentes, perjurium perpetrare
 non formidant. Si quis vero sacerdotum hæc prohi-
 bita deprehensus fuerit admisisse, vel commissa po-
 tius spontanea voluntate citius non correxerit, pro-
 prii honoris irrecuperabiliter periculo subjacebit.

CAPUT XIX.

A quibus illicitis presbyteri maxime se cohibere
debeant.

(*Capitulare Theodulfi* cap. 43; lib. V *Capitular.*

cap. 325.) Observandum est sacerdotibus ut ab ebrietate se abstineant, quoniam secundum Scripturam ebrietas nullum vitium excusat. Et Apostolus commonet dicens: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et neque per tabernas eant bibendo aut comedendo, neque domos aut villas curiositate qualibet peragrent, aut cum feminis vel quibuslibet impuris personis convivia exerceant, neque comessionibus et cæteris pestibus ad gastrimargiam pertinentibus deserviant, et ad forum vel mercatum nullatenus vadant, neque ad sæculare iudicium pergant, nisi forte ut pauperibus succurrant, aut de verbo Dei iudices admoneant ut justa iudicia iudicent. Si vero eorum propria causa agenda est, cum licentia episcopi et cum advocato pergant. Prohibemus autem omnimodis ut presbyteri villici et conductores seniorum non fiant, nec chartas scribant, nec ad nuptias pergant, nec arma assumant, nec fidejussores existant. Carnis quoque voluptates et negotia sæcularia et vanas hujus mundi delicias, impudica convivia, vana spectacula, mortiferas hujus sæculi pompas, obscæna jocorum verba, risus inutiles, venationem cum avibus vel canibus, usuras, negotiationes illicitas, pondera iniqua, placita sæcularia, munera injusta, et omnia mortalia peccata, et si qua sunt similia, monemus ut refugiant: quoniam secundum Apostolum *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus ut ei placeat cui se probavit.* Cæteros itaque ad Ecclesiam Christi pertinentes pie et juste prævidere et regere debent tanquam Christi milites, bene agendo et prædicando juxta Domini sententiam, qui ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant vestra bona opera et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.*

CAPUT XX.

Quod statutis diebus et in vicis baptismum celebretur. Et de infirmis baptizandis.

Baptismum certis temporibus celebrari antiqui patres sanxerunt, Pascha scilicet et Pentecosten. Aliis vero temporibus quempiam baptizari canonica vetat auctoritas, præter cum quem in periculo mortis constitutum necessitas summa constringit. His itaque duobus temporibus, Pascha scilicet et Pentecosten, omnes sacerdotes ex cellis ad vicos convenire debent, et ibi officio peracto, cum summa diligentia baptizandos quosque baptizent. Et tunc ad proprias ecclesias cum baptizatis suis et cæteris subjectis remeantes missarum solemniam persolvant, et baptizati, et qui eos a fonte baptismatis suscepunt omnes excommunicent. Et quandiu in albis sunt, quotidie a patrinis ad ecclesiam cum luminaribus deducantur, et corpus et sanguinem Christi usque in diem octavum æquali jure cuncti percipere studeant. Si autem parvulus ægrotans ad quemlibet presbyterum quocumque tempore vel hora baptismi gratia de cujuslibet parochia allatus fuerit, ei baptismi sacramentum nullo modo negetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectaverit, et ille parvulus absque baptismi gratia mortuus fue-

PATROL. CXIX.

rit, noverit se ille qui eum non baptizavit pro ejus anima rationem redditurum.

CAPUT XXI.

De decimis a fidelibus dandis.

Decimas de omnibus rebus juxta modum a beatis Patribus constitutum a cuncto populo cum omni devotione Dei ecclesiis reddendas esse monemus, ut sacerdotes, qui per sacras eorum orationes et oblationes pro pace, pro totius populi Christiani salute, pro frugibus terræ, pro infirmis quoque et defunctis omnipotentis Dei misericordiam implorant, victum et vestimentum et cætera quæ in eis sunt necessaria habeant, et ut hospitibus et peregrinis, orphanis et viduis, debilibus et ægrotis solatium præbere valeant. (*Concil. Cabilon. II, cap. 19; Capitula excerpta ex lege Longobardor., cap. 41.*) Sunt præterea quidam qui decimas suas dare ad ecclesias suas negligunt, ubi et ipsi et eorum servi missas audiunt. Proinde decrevimus ut omnes ibi decimas dent ubi infantes eorum baptizantur, et ubi missas audiunt, et ubi res ipsæ convenire videntur, juxta proprii episcopi decretum. Presbyteri vero ab his qui decimas non dant vadios nunquam accipiant. Sed qui post crebras admonitiones et prædicationes eas dare neglexerint excommunicentur. Juramento autem propter periculum perjurii constringi eos nolumus.

CAPUT XXII.

De oratione Dominica et symbolo. Et de spiritualibus patribus et filiis.

(*Lib. II Capitular. cap. 46 et lib. VI, cap. 182.*)

Commonendi sunt fideles ut omnes generaliter a minimo usque ad maximum orationem Dominicam et symbolum discant. Et dicendum eis quod in his duabus sententiis omne fidei Christianæ fundamentum incumbit. Et nisi quis has duas sententias et memoriter tenuerit et ex toto corde crediderit, et in oratione sæpissime frequentaverit, catholicus esse non poterit. Constitutum namque est ut nullus chrismetur, neque baptizetur, neque a lavacro fontis alium suscipiat, neque coram episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi symbolum et orationem Dominicam memoriter tenuerit, exceptis his quos ad loquendum ætas minime perduxit. Patrini autem eos quos de fonte lavacri suscipiunt erudire summopere studeant, et orationem Dominicam et symbolum illis insinuent, quoniam eos Domino genuerunt, et pro eis fidejussores existunt. Qui vero in publica pœnitentia sunt constituti, aut criminali peccato tenentur obnoxii, neminem a lavacro fontis suscipere neque coram episcopo ad confirmationem tenere præsumant usquequo pœnitentia peracta satisfactionem condignam percipere mereantur.

CAPUT XXIII.

De honore parentum, et dominis subditorum admonendis.

(*Lib. I Capitular., cap. 65; lib. II, cap. 41, 44.*)

23

Admonendi sunt fideles sanctæ Dei Ecclesiæ ut filios suos et filias suas doceant parentibus obedientiam exhibere, dicente Domino : *Fili, honorifica patrem tuam et matrem tuam*. Nam et ipsi parentes erga filios suos ac filias modeste debent agere, dicente Apostolo : *Et vos, parentes, nolite ad iracundiam provocare filios vestros*. Nam et hoc dicendum est eis ut si illi tali affectu parcere velint injuriis filiorum, non hos impune Dominus sinit, nisi forte digni pœnitentiæ exhibeant : quia levius est filios parentum quælibet flagella suscipere quam Dei iram incurrere. Admonendi sunt etiam domini subditorum ut circa subjectos pie et misericorditer agant, nec eos qualibet injusta occasione condemnent, nec eos opprimant, nec illorum substantiolas injuste tollant, nec ipsia debita quæ a subditis reddenda sunt impie ac crudeliter exigant. Quia ergo constat in Ecclesia diversarum conditionum homines esse, ut sint nobiles et ignobiles, servi, coloni, inquilini, et cætera hujusmodi nomina, oportet ut quicumque eis prælati sunt, clerici sive laici, clementer erga eos agant et misericorditer eos tractent, sive in exigendis ab eis operibus, sive in accipiendis tributis vel quibusdam debitis; sciantque eos fratres suos esse et unum secum patrem se habere Deum, cui clamant: *Pater noster qui es in cælis*, et unam matrem sanctam Ecclesiam, quæ eos intemerato sacri fontis utero gignit. Disciplina igitur eis misericordissima et gubernatio opportuna adhibenda est; disciplina, ne indiscipline vivendo auctorem suum offendant; gubernatio, in quotidianis vitæ comitatibus prælatorum adminiculo destituti fatescant.

CAPUT XXIV.

Quod non sit personarum acceptio apud Deum.

(*Concil. Cabilon. II, cap. 34.*) Quia igitur, Apostolo testante, non est personarum acceptio apud Deum, et in omnibus judiciis cavendum est, multo magis in hoc pœnitentiæ iudicio præcaveri debet ut nullus sacerdotum unquam aut gratia aut odio alicujus personæ secus judicet quam quod in canonicis sacris invenerit, aut quod illi secundum sanctarum Scripturarum auctoritatem et ecclesiasticam consuetudinem rectius visum fuerit. Si ergo medici, qui corporibus medicinam inferre conantur, nequaquam propter personæ cujuslibet acceptionem his quos sanare cupiunt cauterio, aut ferro, aut duris aliis quibuslibet rebus, parcunt, multo magis his observandum est qui non corporum sed animarum medici existunt. Neque enim pensanda est pœnitentia quantitate temporis, sed ardore mentis et mortificatione corporis. Cor autem contritum et humiliatum Deus non spernit.

CAPUT XXV.

De discordantibus.

(*Addit. IV Capitular., cap. 50.*) Oblationes dissidentium fratrum neque in sacrario neque in gazophylacio recipiantur. Placuit etiam ut sicut ple-

(a) Vide notas ad Reginonem, pag. 550.

rumque fit, illi qui odio aut longinqua inter se lite discesserint, et ad pacem redire diuturna intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu justissima excommunicatione pellantur quoadusque ad charitatem, quæ cooperit multitudinem peccatorum, venire festinent (a).

CAPUT XXVI.

Qualiter dies Dominicus observetur.

(*Lib. I Capitular., cap. 75; lib. VI, cap. 380, et lib. VII, cap. 276.*) Diem dominicum apostoli ideo religiosa sanxerunt solemnitate quia in eodem die Redemptor noster a mortuis resurrexit. Quique ideo Dominicus appellatur ut in eo a terrenis operibus et a mundi illecebris abstinere, tantum divinis cultibus serviamus. Nam sicut ipse Dominus Jesus Christus et Salvator noster tertia die resurrexit a mortuis, ita et nos resurrecturos in novissimo sæculo speramus. Unde etiam in Dominica die stantes oramus : quod est signum futuræ resurrectionis. Hoc agit universa Ecclesia quæ in peregrinatione mortalitatis inventa est, exspectans in finem sæculi quod in Domini nostri Jesu Christi corpore præmonstratum est, qui est primogenitus mortuorum. Dies autem Dominicus a Christianis post resurrectionem Domini celebratus est, et ex illo cœpit habere festivitatem suam. Tanta ergo hujus diei debet esse observantia ut præter orationes et missarum solemnities et ea quæ ad vescendum pertinent nihil aliud fiat. Videlicet ut nec opera servilia in eo agantur, nec viri ruralia exerceant, nec vineas colant, nec campos arent, nec messem metant, nec fenem secent, nec sepem ponant, nec silvas stirpent, nec arbores cædant, nec in petris laborent, nec domos construant, nec hortum faciant, nec terram moveant, nec ad placita conveniant, nec venationes exerceant, nisi tantum cibi vel frigoris necessitate. Item femine opera trextilia non faciant, nec vestimenta capulent, nec consuunt, nec vestimenta lavent, nec liniunt, nec linum battant, nec lanam carpere præsumant, nec herbices tondeant, ut omnimodis bonorum requies die Dominico persolvatur. Ipse est enim primus dies sæculi. In ipso formata sunt elementa mundi, in ipso creati sunt angeli, in eo manna de cælo datum est, in ea Redemptor humani generis a mortuis resurrexit, in eo Spiritus sanctus super discipulos descendit. Conveniendum est sabbato die cum luminaribus ad ecclesiam, conveniendum est ad vigiliis sive ad matutinum officium, concurrentium est etiam cum oblationibus ad missarum solemnities. Et dum convenitur, nulla jurgia sunt habenda; sed tota die tantum Deo vacandum est, non in crapula et ebrietate vel in luxuriis et jocularibus verbis, sed in Dei laudibus et elemosynis cum amicis, proximis, et peregrinis spiritaliter epulandum.

CAPUT XXVII.

De diebus festis anni.

(*Lib. II Capitular., cap. 35; Regino, lib. I, cap.*

577) Festos dies in anno celebrare sanximus, hoc est, diem Dominicum Paschæ cum omni honore et sobrietate venerari, simili modo totam hebdomadam illam observare decrevimus, diem ascensionis Domini pleniter celebrare. In Pentecosten similiter ut in Pascha, nativalem sancti Joannis Baptistæ, Petri et Pauli diem unum, sancti Laurentii, assumptionem sanctæ Mariæ, dedicationem sancti Michaelis, natalem sancti Martini, sancti Andreæ, et omnium apostolorum. In nativitate Domini dies quatuor, octavas Domini, Epiphania, purificationem sanctæ Mariæ, natalem sancti Ursicini et sancti Austregisili et sancti Sulpitii. Et illas festivitates sanctorum observare decrevimus quorum in unaquaque parochia sancta corpora requiescunt vel reliquiæ venerantur. His prædictis diebus ab operibus quiescendum esse diximus. Cæteras festivitates sanctorum apostolorum, martyrum, confessorum, atque virginum congruo honore celebrandas esse censemus.

CAPUT XXVIII.

Qualiter fideles in missarum solemniis offerre debeant vel communicare.

Sacrificium quod a Christianis Deo offertur primum Christus Dominus noster et magister instituit quando commendavit apostolis corpus et sanguinem suum priusquam traderetur. Sic enim legitur: *Accipit, inquit, Jesus panem et calicem, et benedicens dedit eis.* Dicunt aliqui, nisi aliquo intercedente peccato, eucharistiam quotidie accipiendam. (Regino, lib. I, cap. 194.) Hunc enim panem dari nobis quotidie jubente Domino postulamus dicentes: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quod quidem bene dicunt, si hoc cum religione et devotione et humilitate suscipiunt, nec fidendo de justitia, superba præsumptione id faciant. Cæterum si talia sunt peccata quæ quasi mortuum ab altario removeant, prius agenda est pœnitentia; ac si deinde hoc salutiferum medicamentum suscipiendum, juxta Apostolum probare se debet homo et sic de pane illo manducare et de calice libere. (Lib. II *Capitular.*, cap. 40). Si vero indiscrete accipitur, timendum est illud quod ait idem Apostolus: *Qui manducat et bibit indigne judicium sibi manducat et bibit.* Hoc est enim indigne accipere, si eo tempore quis accipiat quo debet habere pœnitentiam. Quod si tanta non sunt peccata ut excommunicandus quisque judicetur, non se debet a medicina Domini corporis separare, ne dum nimium in longum differtur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Conjugatis autem abstinendum est a coitu aliquot diebus, orationique vacandum, ut ad tantum accedere purificati valeant sacramentum. Relegant regnorum libros, et invenient sacerdotem Abimelech de panibus propositionis noluisse prius dare David et pueris ejus antequam interrogaret utrum mundi essent pueri a mulieribus, non utique ab alienis, sed a propriis

A conjugibus; et nisi eos audisset ab heri et nudius tertius vacasse ab opere conjugali, nunquam panes sanctos ad comedendum concessisset. Quapropter eligendi sunt aliqui dies quibus prius homo continentius vivat, quo ad tantum sacramentum dignus accedere possit. Similiter et eos qui in missarum solemniis panem et vinum sacerdotibus ad altare offerunt, a conjugibus aliquandiu abstinere oportet, et postea aqua loti, et vestimentis ablutis, pro suis suorumque erratibus oblationes Deo offerant, et si velint, communicent. Quibus autem sacrificii sumptus negatur, offerendi facultas non tribuitur.

CAPUT XXIX.

De jejuniis quadragesimali.

(*Capitulare Theodulfi*, cap. 37, 41, 43). Dies autem quadragesimales cum summa observatione custodiendi sunt, ut jejunium in eis præter dies Dominicos, cui ab abstinence subtracti sunt, nullatenus solvatur, quia ipsi dies decimæ sunt anni nostri, quos cum omni religione et sanctitate transfigere debemus. Nulla enim in his occasio sit resolvendi jejunii; quia alio tempore solet jejunium charitatis causa dissolvi. Isto vero nunquam debet, et in alio tempore jejunare præmium acquirere est. In hoc vero, præter infirmos aut parvulos, quisquis non jejunat, pœnam sibi acquirit, quia eosdem dies Dominus et per Moysen et per Eliam et per semetipsum sacro jejuniis consecravit. Abstinendum est enim in his sacratissimis diebus a conjugibus, quia pene nihil valet jejunium quod conjugali opere polluitur. Ab omnibus ergo fidelibus singulis Dominicis diebus in quadragesima, præter eos qui pro crimine mortali excommunicati sunt, sacramenta corporis et sanguinis Christi sumenda sunt, et in Cœna Domini, et in Parasceve, et vigilia Paschæ, et in die Resurrectionis Domini penitus communicandum est. Et ipsi dies paschalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi sunt.

CAPUT XXX.

De cæteris jejuniis institutis.

(Lib. V *Capitular.*, cap. 151). De jejuniis in quatuor anni temporibus conservando, quando lectiones duodecim in sabbato leguntur, statutum est a sanctis Patribus ut in primo mense in prima hebdomada in Junio in secunda hebdomada, in Septembrio in tertia hebdomada, in Decembrio in quarta hebdomada, tribus diebus, id est quarta et sexta et septima feria, omnes, exceptis infantibus et infirmis, usque ad nonam jejunent et abstineant se a carne. Eodem modo in diebus rogationum jejunandum est, et a carne triduo abstinendum est. Jejunia vero a sacerdotibus indicta sine necessitate rationabili solvenda non sunt. (*Capitulare Theodulfi*, cap. 38.) In diebus itaque jejunii elemosyna facienda est, et cibum et potum quo quisque uti vellet, si non jejunaret, pauperibus eroget; quia jejunare et cibos prandii ad cœnam reservare non mercedis sed ciborum est incrementum.

CAPUT XXXI.

De observationibus jejuniorum.

(*Capitulare Theodulfi*, cap. 40; *Capitular. Caroli Calvi*, tit. 38, cap. 8; *Capitulare Theodulfi*, cap. 42.) Abstinentia in diebus jejunii pene omnium deliciarum esse debet, et sobrie et caste vivendum, ut sanctificato corde et corpore ipsi sancti dies transigantur. Denuntiandum est etiam ministris reipublicæ ut a quarta feria ante initium Quadragesimæ, nec in ipsa quarta feria, usque post octavas Paschæ, mullum vel placitum publicum nisi de concordia et pacificatione discordantium tenere præsumant. Similiter a quarta feria ante nativitatem, Domini usque post consecratos dies observent, nec non et in jejuniis quatuor temporum et in Rogationibus et in cæteris jejuniis constitutis simili observatione eosdem feriatis dies venerari omninodis studeant. In his autem jejuniorum diebus nullæ lites, nullæ contentiones esse debent, sed in Dei laudibus et in opere necessario persistendum. Arguit enim eos qui contentiones et lites jejunii tempore exercent, et qui debita a debitoribus exigunt, Dominus per prophetam dicens: *Ecce in die jejunii vestri inveniuntur voluntates vestræ, ut omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie,*

CAPUT XXXII.

De pœnitentia fidelibus danda.

(*Capitulare Theodulfi*, cap. 36, 31). Hebdomada una ante initium Quadragesimæ confessiones sacerdotibus dandæ sunt pœnitentia accipiendæ, discordantes reconciliandi, et omnia jurgia sedanda; et dimittere debent debita invicem de cordibus suis, ut liberius dicant: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Et sic ingredienti in beatæ Quadragesimæ tempus mundis et purificatis mentibus ad sanctum Pascha accedant, et per pœnitentiam se renovent, quæ est secundus baptismus. Confessiones vero dandæ sunt de omnibus peccatis quæ sive in opere sive in cogitatione perpetrantur. Octo sunt vitia principalia sine quibus vix ullus inveniri potest. Est enim primum gastrimargia, hoc est ventris ingluvies, secundum scurricatio, tertium accidia sive tristitia, quartum avaritia, quintum vana gloria, sextum invidia, septimum ira, octavum superbia. Quando ergo quis ad confessionem venit, diligenter debet inquiri quomodo aut qua occasione peccatum perpetravit quod peregrisse confitetur, et juxta modum facti debet ei pœnitentia indicari. Debet ei persuaderi ut de perversis cogitationibus faciat confessionem. Debet ei etiam injungi ut de octo vitiis principalibus faciat confessionem. Et nominalim debet ei sacerdos unumquodque vitium dicere et suam de eo confessionem accipere.

CAPUT XXXIII.

De modis pœnitentiæ vel remediis.

(*Concil. Cabilon.* II, cap. 38.) Modus autem pœ-

A nitentiæ peccata sua consentibus aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum Scripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem imponi debet, repudiatis ac penitus eliminatis libellis quos pœnitentiales vocant; quorum sunt certi errores, incerti auctores, de quibus recte dici potest: *Mortificabant animas quæ non moriebantur, et vivificabant animas quæ non vivebant.* Qui dum pro peccatis gravibus leves quosdam et inusitados imponunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos, secundum propheticum sermonem, sub omni cubito manus et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. Sicut enim baptismus peccata, ita et pœnitentia purgat. Septem enim modis peccata dimitti Scriptura sancta demonstrat. Primo in baptismo, secundo per martirium, tertio per eleemosynam, juxta illud evangelicum: *Verumtamen date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis.* Quarto si remittat quis peccanti in se peccata sua, juxta illud: *Dimittite et dimittetur vobis.* Quinto si per prædicationem quis et bonorum operum exercitium alios ab errore suo convertat, juxta illud Apostoli: *Quoniam qui converti fecerit peccatorem a errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte.* Sexto per charitatem, juxta illud: *Charitas Domini cooperit multitudinem peccatorum.* Septimo per pœnitentiam, juxta quod ait David: *Conversus sum in ærumna dum configitur spina.* His ergo septem modis et remissio datur et æternæ retributionis præmium acquiritur.

CAPUT XXXIV.

De publica pœnitentia.

(*Concil. Cabil.* II, cap. 25). Pœnitentiam agere juxta antiquam canonum institutionem in plerisque locis ab usu recessit, et neque excommunicandi neque reconciliandi antiqui moris ordo servatur. Et ideo qui publice peccat publica mulctetur pœnitentia et secundum ordinem canonum pro merito suo excommunicetur et reconcilietur. Non enim licitum est presbyteris publicam dare pœnitentiam, sed publice peccantes oportet ut juxta antiquorum canonum decreta per episcopale ministerium publica Deum studeant satisfactione placare.

CAPUT XXXV.

De usuris et fenore.

D oportet sacerdotes et omnes in commune fideles ut si quando fruges vel quosdam redditus terræ congregant et protelant, non ideo hoc faciant ut carius vendant et thesauros congregent, sed ut pauperibus tempore necessitatis subveniant; nec ad usuram aliquid dent, quoniam ab ipso Domino in lege omnibus interdictum est ad usuram aliquid dare. (*Lib. I Capitular.*, cap. 119, 124, 125.) Usura est ubi amplius requiritur quam datur. Verbi gratia, si dederis solidos decem et amplius requisieris, vel si dederis modios frumenti aut vini, et iterum super aliquid quacunque occasione vel quocunque modo exegeris. Quicunque enim tempore messis vel tem-

pore vindemiæ, non necessitate, sed propter cupiditatem, comparat annonam aut vinum, et servat usque dum carius venundare possit, hoc turpe lucrum esse dicimus. Fenus autem exercet qui aliquid præstat. Nam justum fenus est qui amplius non requirit nisi quantum præstat.

CAPUT XXXVI.

De perjurio et falso testimonio.

(*Capitulare Theodulfi*, cap. 26, 27). Prædicandum est ut pejurium fideles caveant et ab hoc summo pere abstineant, scientes hoc grande scelus esse et in lege et prophetis sive evangelio prohibitum. Audivimus enim quosdam parvi pendere hoc scelus et levem quodam modo perjuris pœnitentiæ modum imponere. Qui nosse debent talem de perjurio pœnitentiam imponere debere qualem et de adulterio, de fornicatione, de homicidio, et de cæteris criminalibus vitiis: quoniam in lege Domino præcipiente habemus: *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, et ne assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Dicendum est etiam eis ut a falso testimonio se abstineant, scientes et hoc gravissimum scelus esse et ab ipso Domino in monte Sinai prohibitum, dicente eodem Domino: *Non falsum testimonium dixeris, sive testis falsus non erit impunitus.* Sciat se etiam quisquis hoc perpetraverit tali pœnitentia purgandum ut superius dictum est de perjurio. Dicendumque est illis quod summa, non dicam stultitia, sed nequitia est pro cupiditate auri et argenti, aut vestimentorum, aut cujuslibet rei, aut quod creberrime contingere solet, propter ebrietatem, in tam grande scelus corruere, ut aut septem annis in arcta ærumna sit, aut ab Ecclesia sit repulsus, dicente Domino: *Quid prodest homini, si lucratur totum mundum, et animæ suæ detrimentum faciat.* Quippe cum aliis videatur pius existere, si bimet crudelis existat. Si quis vero perpetrato perjurio, aut falso testimonio, vel quolibet criminali peccato, timens pœnitentiæ longam ærumnam, ad confessionem venire noluerit, ab Ecclesia repellendus est, sive a communione et consortio fidelium, ut nullus cum eo comedat, neque bibat, neque oret, neque in sua domo eum recipiat.

CAPUT XXXVII.

De perjurio, furto et rapina.

Quicumque sciens perjurium perpetraverit, annis septem se pœnitentiæ subdat, et ita deinceps ad communionem revertatur. Qui vero cupiditate captus furtum fecerit, quod abstulerit reddat, et annis quinque pœnitentiam agat. Similiter et qui per rapinam alterius res injuste abstulerit, et hoc quod vi illieite extorsit restauret, et totidem annis, id est quinque, reatum suum pœnitentiæ jejuniis diluat. Si autem nescit cui damnum intulit, aut non valet reddere quod violenter subrepsit, asperiori pœnitentiæ se submittat et post septem annos per-

(a) Vide notas ad Capitular. 1038.

A sectionem plenam consequatur acta legitima pœnitentia.

CAPUT XXXVIII.

De observationibus vanitatum.

(a) Quicumque fidelium auguria et auspicia sive somnia vel divinationes quaslibet more gentilium observaverint, sive sortes quas mentiuntur esse sanctorum, quæ clericici vel laici detecti fuerint vel consulere vel docere, aut in domos suas hujusmodi homines introduxerint exquirendi aliquid arte malefica, aut domos suas lustraverint, ab ecclesia quinquennio habeantur extranei pœnitentiam agentes secundum antiquas regulas constitutas. Non enim licet Christianis traditiones gentilium observare vel colere elementa, aut lunas, aut stellarum cursus, aut inanem signorum fallaciam, pro domo faciendave segete vel arboribus plantandis vel conjugis sociandis. Scriptum est enim: *Omnia quæcunque facitis, in nomine Domini facite.* Nec licet in collectionibus herbarum aliquas observationes vel incantationes attendere, nisi tantum cum symbolo divino et oratione Dominica. Similiter nec Christianas mulieres licet vanitatem in suis lanificiis observare, sed Deum invocent adiutorem, qui eis sapientiam texendi donavit ut in omnibus honorificetur.

CAPUT XXXIX.

De homicidiis sponte commissis et non sponte commissis.

De his qui voluntarie homicidium faciunt gravis sententia in Scripturis sacris est, dicente Apostolo: *Qui templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est quod estis vos.* Quicumque ergo voluntarie homicidium fecerit, ab Ecclesia Dei est repellendus et a consortio fidelium sequestrandus juxta canonum instituta, ubi ita scriptum reperitur: *Qui voluntarie homicidium fecerit, pœnitentiæ quidem jugiter se submittat, perfectionem vero circa exitum vitæ consequatur.* Et item: *Si quis voluntarie homicidium fecerit, ad januam Ecclesiæ catholicæ semper jaceat, et communionem in exitu vitæ suæ recipiat. Si autem non voluntate, sed casu aliquo, homicidium fuerit factum, prior canon septem annis agi pœnitentiam jussit, secundus canon quinque mandavit.* Et alibi: (*Conc. Ancyran., 22, 23*): *De homicidiis non sponte commissis, prior quidem definitio post septem annos pœnitentiæ perfectionem consequi præcepit. Secunda vero quinquennii tempus D explere.*

CAPUT XL.

De homicidiis diversis occasionibus perpetratis.

Si quis servum proprium, licet criminibus multis approbatum, sine conscientia judicis occiderit, excommunicatione vel pœnitentia biennii reatum sanguinis emendabit. Si vero domina furore zeli accensa flagellis verberaverit ancillam suam, ita ut infra diem tertium animam cruciatu effundat, et quod incertum sit voluntate per septem annos, si in casu occiderit, per quinquennii tempora a communione

placuit abstineri. Quod si infra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem. Placuit etiam ut hi qui sibi ipsis aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per suspendium, vel quolibet modo violenter inferunt mortem, nulla illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur. Similiter et de his placuit qui pro suis sceleribus puniuntur.

CAPUT XLI.

De feminis quæ partus suos necant. et cum duobus fratribus fornicantur.

(*Conc. Ancyran.*, cap. 21.) Si qua mulier fornicaverit, et infantem qui exinde natus fuerit occiderit, et quæ studuerit abortum facere ei quod est conceptum necare, aut certe ut non concipiat elaborat, sive ex adulterio, sive ex legitimo matrimonio, has tales mulieres in morte non recipere communionem priores canones decreverunt. Nos tamen pro misericordia sive tales sive conscias ipsarum decem annos agere pœnitentiam iudicavimus. Et si qua mulier duos fratres, aut si quis vir duas sorores habuerit, a communione se abstineant usque ad mortem, in morte autem eis communicatio pro misericordia detur. Si vero supervixerint communione accepta, et de infirmitate convaluerint, agant plenam pœnitentiam tempore constituto, et hoc secundum antiquam definitionem. Humanius autem nunc definimus ut eis decem annorum tempus pœnitentiæ tribuatur, ita tamen ut omni tempore vitæ suæ fletibus et humilitati insistant.

CAPUT XLII.

De adulterio.

(*Conc. Ancyran.*, cap. 20.) Si cujus uxor adulterata fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentia oportet eum perfectionem consequi secundum pristinos gradus. Si vero uxorem habens concubinam habuerit, non communicet, donec desinat ab ea et ad pœnitentiam revertatur. Quod si conscio marito uxor fuerit mœchata, usque in finem non communicet. Si autem eam reliquerit, post decem annos accipiat communionem.

CAPUT XLIII.

De his qui fornicantur irrationabiliter.

(*Conc. Ancyran.*, cap. 16.) De his qui irrationabiliter versati sunt sive versantur, id est qui se miscent pecoribus aut cum masculis polluuntur, si quis ante vicesimum annum tale crimen commiserit, quindecim annis exactis in pœnitentia communionem orationis mereatur, deinde quinquennio in hac communione durans, tunc demum oblationis sacramenta contingat. Discutiatur autem et vita eorum qualis tempore pœnitentiæ exstiterit, et ita misericordiam consequantur. Quotquot autem peracta viginti annorum ætate uxores habentes in hoc peccatum prolapsi sunt, viginti quinque annis pœnitentiam gerentes in communione suscipiantur orationum: in qua quinquennio perdurantes tunc demum oblationis

sacramenta percipiant. Quod si uxores habentes et transcendentibus quinquagesimum annum ætatis ita deliquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam consequantur.

CAPUT XLIV.

De satisfactione et reconciliatione pœnitentium.

Satisfactio autem est causas peccatorum et suggestiones excludere et ultra peccatum non iterare. Reconciliatio vero est quæ post complementum pœnitentiæ adhibetur. Nam sicut conciliamur Deo quando primum per baptismum a gentilitate convertimur, ita reconciliamur quando post peccatum pœnitendo regredimur. Quorum autem peccata in publico sunt, in publico debet esse pœnitentia per tempora quæ episcopi arbitrio pœnitentibus secundum differentiam peccatorum decernuntur; eorumque reconciliatio esse debet ab episcopo sive a presbyteris, jussu tamen episcoporum, sicut canones Africani concilii testantur, ubi ita scriptum est: *Cujuscunque pœnitentis publicum et vulgatissimum crimen est quod universam Ecclesiam commoverit, ante absidam ei manus imponatur.* (Lib. v *Capitular.*, cap. 137.) Si vero pœnitens mortis periculum incurrit, per episcopi licentiam a presbytero reconcilietur et communionis gratia muniatur, ne desperationis fune ligatus ad æternum pertrahatur interitum. Nulli ergo fidelium ultima pœnitentia vel reconciliatio sive corporis et sanguinis Christi perceptio neganda est. Quorum autem peccata occulta sunt et spontanea confessione soli tantummodo presbytero ab eis fuerint revelata, horum occulta debet esse pœnitentia secundum presbyteri iudicium cui confessi sunt, ne infirmi in Ecclesia scandalizentur videntes eorum pœnas quorum penitus ignorant causas. Quali autem tempore pœnitentium reconciliatio fieri debeat ostendunt decreta Innocentii papæ, ubi ita scriptum reperitur (*epistola ad Decentium*): *De pœnitentibus autem qui sive ex gravioribus commissis sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla intervenerit ægrotudo, quinta feria ante pascha eis remittendum esse Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterum de pondere æstimando delictorum sacerdotis est iudicare, ut attendat ad confessionem et ad fletus atque lacrymas pœnitentis, at tunc potest dimitti cum viderit congruam satisfactionem. Sane si quis in ægrotudinem incidit, ei est ante pascha relaxandum, ne de hoc sæculo absque communione discedat.* Hoc ergo ante omnia cavendum est, ne in extremis pœnitenti pœnitentia et reconciliatio denegetur, ne in desperatione pereat. Perdidisset enim latro in cruce ad dextram Christi pendens præmium, si illum unius horæ pœnitentia non juvasset. Vera ergo ad Dominum conversio in ultimis positurum mente potius est æstimanda quam tempore, propheta asserente: *Cum conversus, inquit, ingemueris tunc salvus eris.*

CAPUT XLV.

De pollutionibus nocturnis.

(S. Gregor. *epist. ad S. Augustinum*, cap. 11.) Quærendum est utrum post illusionem quæ per somnium solet accidere corpus et sanguinem Domini quislibet accipere valeat, aut si sacerdos sacra mysteria celebrare debeat an non. Ad hæc respondendum est quoniam in Veteri Testamento pollutum nisi prius lotum aqua usque ad vesperum intrare in ecclesiam non conceditur. Quod tamen aliter populus spiritalis intelligens sub eodem intellectu accipit, quia quasi per somnium illuditur qui tentatus vanis imaginibus immunditiæ in cogitatione inquinatur. Sed lavandus est aqua, ut culpas cogitationis lacrymis abluat. Et nisi prius ignis tentationis recesserit, reum se usque ad vesperum recognoscat. Sed est in eadem illusionem necessaria valde discretio, quæ subtiliter pensare debeat ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula, id est ex nimio cibo vel potu, aliquando ex naturæ superfluitate vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem cum ex naturæ superfluitate vel infirmitate evenerit, omnimodo hæc illusio non est timenda; sed ille qui pertulit, se ipsum ac vestimenta sua aquis emundans, licite misterium

A peragat et ad sacra mysteria devotus accedat. Cum vero ultra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacri mysterii vel missarum solemniam celebrandi, cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhiberi mysterium, pro eo quod sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alii qui implere illud officium valeant, illusio per crapulam facta a perceptione sacramenti prohibere non debet, sed ab immolatione sacri mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debet, si tamen dormientem turpis imaginatio non concusserit. Nam sunt quibus plerumque ita illusio nascitur ut eorum animus etiam in somno corporis positus turpibus imaginatio- nibus non fœdetur. Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio, mentem dormientis radix fœdat coinquinationis. Quia quod cogitavit sc'ens hoc pertulit nesciens. Iste talis non debet accedere ad percipiendum vel consecrandum corporis et sanguinis Christi sacramentum quousque pœnitentiæ et abstinentiæ biduana vel triduana satisfactione purgatus et aqua ablutus mundetur, et sumente corpore purus ad tam sacratissimum mysterii munus accedere festinet immunis.

ANNO DOMINI DCCCLXVII.

WALTERIUS

AURELIANENSIS EPISCOPUS.

WALTERII CAPITULA (a)

Promulgata in synodo apud Bullensem fundum secundo ordinationis ejus anno, vii Kal. Junii, celebrata.

CAP. I. — *Quomodo archidiaconi presbyteros discutiant.*

(*Illem., Capit. dat. decanis.*) Ut archidiaconi per

C sibi commissas parochias, diligenter (b) discutiant presbyterorum fidem, baptismum, et missarum celebrationem: quatenus rectam fidem teneant; bapti-

LUDOVICI CELLOTII NOTÆ

(a) Horum capitulorum auctor Walterus, sive Gualterus Aurelianensis episcopus, in concilio nostro Duziacensi cum cæteris iudex sedit, et sententiam dixit adversus Laudunensem Hinemarum, subscriptusque in eo legitur « Walterus humilis Aurelianorum episcopus: » quemadmodum postea in Pontigonensi, « Walterus humilis Aurelianensis Ecclesiæ episcopus: » unde viri optimi modestiam, et ex modestia cæterarum virtutum cumulum intelligimus. Ex hac autem synodo pastorem sollicitudinem et ecclesiasticæ disciplinæ observationem habemus, qua majorem nec Hincmarus ipse, nec Isaac Lingo- nensis Parduli olim diaconus eodem argumento posteritati transmiserunt: ut ex his capitulis patet, quæ cum aliis aut committi aut conjungi, tibi lector,

spero injucundum non fore. Quibus etiam Theodulphum adjiciemus et ipsum Aurelianensem, cujus epistolam ad clerum Ecclesiæ suæ scriptam ex editore Baronio suos in *Annales Carolus Sausseus* transtulit (*Annal. eccl. Aurel.*, l. vi). Quanquam suo antea loco non defuerat Sirmundus (*t. II Conc. Gall.*)

Ad tempus collectæ diocesanæ hujus synodi, et latorum capitulorum quod attinet, nihil certum possumus edicere, deficiente in titulo et Dominicæ incarnationis, et indictionis nota, quam religiose ætas illa signavit. « Secundo, » inquit, ordinationis suæ anno. »

(b) *Discutiant presbyterorum fidem.* Non multum discedit.